

liter, vel virtualiter. Nos autem jam diximus in principio articuli, non loqui in præsentī, nisi de peccato commissionis, quod formaliter dicit posse positivam contrarietatem, reliqua virtualement, et formaliter sunt privationes. Nec est necesse, quod omnia peccata univoce, et eodem modo participant rationem peccati in modo habendi speciem malitiæ moralis, licet ab eadem malitia denominationem eandem accipiant, de quo dicemus disp. XI, et infra circa quæstionem LXXII, tractando de peccato commissionis, et omissionis.

XCII. Ad secundam confirmationem respondetur majorem aversionem semper consequi ad peiorem conversionem, et ita non sumitur gravius peccatum ex intensiori, et ardentiori modo peccandi, sed ex peiori objecto causante illam aversionem, in tantum quod peccata infidelitatis, et desperationis habent pro objecto ad quod convertuntur ipsum recessum a Deo, quatenus sibi videtur valde gravis, et tædiosus, aut non possibilis consequi, aut non veraciter testificans, vel in rei veritate non loquens nobis per instrumentum Ecclesiæ; ex qua conversione ita pessima, quæ ipsum recessum a Deo facit objectum suæ voluntatis sub quadam apparentia boni, sequitur aversio formalis omni peccato communis, quæ est aversio a lege divina, seu a Deo ut regulante et præcipiente, in hac enim aversione nunquam peccatum consistit, quia semper se habet ex parte termini a quo, seu respicit Deum, et ejus lege ut terminum a quo sui recessus. Qui autem Deum ipsum tam pessima existimatione concepit, ut materiam aversionis faciat sive in discredendo, sive in desperando, sive in abominando, habet ipsum recedere, et ipsum averti a Deo sic concepto, ut objectum, et materiam

suæ tendentiæ, et actus. Et sic semper gravitas peccati sumit ut ex peiori objecto ad quod fit conversio, prout ex ipso nata est sequi peior aversio, cum enim aversio fundetur in conversione, et in positivo non potest sequi peior aversio nisi ex peiori objecto ad quod sit conversio, et quod hanc aversionem fundat, de quo videri potest D. Thomas infra quæst. LXXIII, art. II, ut supra citavimus.

XCIII. Ad illud de defectibus artificialibus respondetur, quod si artefactum consistit in aliqua actione artificialiter tendente ad aliquod objectum, ut in actu logicæ, grammaticæ, aut musicæ, eodem modo philosophandum est sicut de defectibus moralibus, quod consistunt in aliqua positiva tendentia ad objectum dissonum arti, formatum autem alia idea erranti cui conformantur. Si autem artefactum sit non aliqua actio sed aliquis effectus ad extra devians a regula artis, talis effectus non consistit in tendentia ad aliquod objectum sicut actio, sed in deviatione, et aversione a regula debita, cum respectu tamen positivo ad aliam ideam a qua formatur, quæ debita non est, neque conformis arti.

XCIV. Ultimo arguitur: Nam illud est majus, quod magis recedit a bono, sed privatio magis recedit a bono, et positivo quia minus convenit cum illo, quam aliud positivum, quod solum contrarie opponitur. Ergo sequitur, quod quodcumque peccatum omissionis, quod in privatione consistit, aut etiam macula peccati, imo et malum transcendens esset majus malum, quam peccatum commissionis, quod tamen est summum malum. Et sic gravius offenderetur Deus omissione honorandi parentes, verbi gratia, quam odio Dei, vel infidelitate. Et cum peccatum commissionis dicat ali-

quid positivum, et contrarium erit amabile a Deo, quia aliquid positivum et bonum est, non obstante contrarietate ad virtutem, sicut amatur malum pœnæ non obstante contrarietate ad naturam, et licet sit malum respective.

XCIV. Respondetur esse majus malum, quod magis recedit a bono recessu morali, et tendentia positiva ad objectum magis distans, concedo; recessu pure privativo, aut physico, nego. Unde non sequitur quod omissio sit semper gravius peccatum, siquidem etiam gravitas omissionis in genere morali provenit ex aliquo actu, et positiva oppositione antecedente, vel concomitante omissionem. Itaque licet privativa oppositio absolute, et pro genere entitativo sit major, tamen pro genere morali magis conducit contraria in peccatis, quæ consistunt in actu, eo quod positiva, et contraria tendentia est aptior, imo necessaria ad tendendum in objecta, et sic hauriendi, et accipiendi ab ipso malitiam, et pravitatem. Hoc autem pertinet ad genus morale, ut malitia habeatur, et sumatur ab objecto, eo quod fiunt homines abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Quare in genere, et linea morali magis opponitur, et minus convenit cum regulis morum positiva, et contraria oppositio, et tendentia, quam privativa, quia illa opponitur eo modo, quo requiretur ad moralitatem actus, scilicet accipiendi indebitum finem, et ejus malitiam objectivam hauriendo, et fundando privationem, et carentiam debitæ rectitudinis in actu, quam sola, et nuda privatio, quæ tollit rectitudinem quasi physice, non autem moraliter, nisi per ordinem ad aliquam tendentiam, et respectum voluntarium ad objectum. Unde non sequitur, quod pura, et sola omissio sine ordine ad actum antecedentem, aut comitantem,

vel etiam malum transcendente sit peius peccato commissionis, et oppositione contraria.

XCVI. Et cum dicitur, quod hoc positivum amabitur a Deo, quia bonum est, respondetur amari a Deo illud positivum eo modo quo causatur, scilicet quatenus effective se habet a Deo, non quatenus defective, et contrarie. Nec est simile de contrarietate pœnæ, quæ etiam est malum respective; dicimus enim, quod ejus contrarietas non est moralis, et defectiva per ordinem ad finem indebitum, et fundantem recessum a Deo universali fine, sed solum est contraria particulari naturæ sustinenti pœnam. Quod autem habet contrarietatem solum ad aliam particularem naturam, cui opponitur, non autem universali bono a cujus lege, et regula avertit, diligi potest a Deo, quia in se est quædam particularis natura, licet opposita alteri, et sic etiam a Deo est, et diligi potest, sicut calor, et frigus diliguntur licet sint contraria, non vero peccatum, seu malum morale.

ARTICULUS III.

Utrum privatio resultans in peccato sit privatio rectitudinis debitæ ipsi actui?

I. Tres sunt sententiæ in hac parte. Prima docet non omnem actum malum habere privationem rectitudinis sibi debitæ, sed dicunt aliquas esse actiones ita malas, et contrarias bono, ut non sint capaces aliqujus rectitudinis, sicut furtum, homicidium, odium Dei, etc. Et sic has privationes in ipsis esse puras negationes. Alias vero actiones esse non omnino contrarias bono, sed solum deficere ratione alicujus circumstantiæ, vel per puram omis-

sionem, et tales carent rectitudine sibi debita per veram privationem, sicut qui dat eleemosynam non ex fine quo debet, vel non in ea quantitate, et modo quo debet, talis actus est privatus rectitudine debita, quia in se eleemosyna est capax illius rectæ circumstantiæ. Actus vero, qui ex suo objecto, et specie, mali sunt, nullius boni sunt capaces, quia ex specie sua illi repugnant, et sic carentia boni non est in illis negatio. Ita Almayn tractatu primo morali, cap. XIII.

II. Secunda sententia affirmat omnem actum malum importare carentiam rectitudinis debitæ non ipsi actui, sed operanti, eo quod operans tenetur recte operari, non ipse actus malus ad id tenetur. Quæ sententia attribuitur Gabrieli in secundo, dist. XXXV, quæst. II, art. I et II, et Ocham quodlibeto III, quæst. XV.

III. Tertia sententia universaliter tenet actum malum habere privationem rectitudinis debitæ in esse sibi. Quam sententiam communiter sequuntur discipuli D. Thomæ Medina super istam quæstionem XVIII, art. V; Zumel infra quæst. LXXI, art. VI, disput. I, conclus. II; Ferrariensis III contra gentiles, cap. IX; et communiter alii qui ex schola Scoti tenent consistere peccatum quantum ad formalem rationem in privativo, et hanc sententiam sequuntur.

IV. Hæc sententia sine dubio est S. Thomæ, qui pro immediato subjecto, seu receptivo hujus privationis ponit ipsummet actum malum, qui rectitudine privatus est. Dicit enim sanctus doctor in secundo, dist. XXXVII, quæst. I, art. I ad secundum: « Quod oportet, quod subjectum privationis, quæ malum est, sit natura quædam, ut hoc modo malum in natura esse dicatur. Et ideo oportet actum illum in quo

deformitas fundatur sicut in subjecto, naturam quamdam esse: » et solutione ad quartum dicit: « Quod privatione qua peccatum malum dicitur, privatur forma per quam actus in genere moris bonitatem habet, non tamen privatur forma illa per quam in genere actus remanet. » Constat autem bonitatem moris esse in actu tamquam in subjecto, quando bonus est; ergo in eodem tamquam in subjecto privatio illius bonitatis est. Eodem modo dicit in hac quæstione XVIII, art. I: « Actionem illam esse bonam, quæ habet plenitudinem essendi, illam vero malam cui defecit aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ. » Censet ergo rectitudinem, seu plenitudinem illam deberi ipsi actui humano, et sic carentiam illius, seu defectum in actu inventum, privationem esse. Et quæst. LXXXV, art. IV dicit: « Dari quoddam bonum, quod est ipse actus ordinatus, et hujus privatio est essentialiter ipsum peccatum. » Ergo hæc privatio ordinationis, seu rectitudinis actus est in ipsa entitate actus pravi. Denique 2-2, quæst. VI, art. II ad secundum inquit: « Quod actus dicitur deformis per privationem formæ intrinsecæ, quæ est debita commensuratio circumstantiarum actus. » Unde colliguntur duo. Primum, quod ista privatio est in ipsomet actu, eo quod est privatio formæ intrinsecæ, ergo est privatio alicujus formæ, quæ intra actum deberet esse: secundum, quod commensuratio circumstantiarum, quando actus est bonus, est aliquid intrinsecum, et non denominatio extrinseca in actu. Unde fit consequens, quod opposita commensuratio, quæ est illi contraria, etiam est intrinsece in actu, et non per denominationem extrinsecam, quam contrarietatem ibidem fatetur D. Thomas.

V. Fundamentum hujus sententiæ consurgit ex duobus, quæ ad privationem concurrunt, scilicet carentia formæ, et capacitas in recipiente ad formam, qua caret. Et sic solum oportet probare, quod utrumque concurrat in ipso actu peccati: hoc enim probato non potest negari, quod in illo sit privatio rectitudinis, quia illa est definitio, et essentia privationis, quod videlicet sit carentia formæ in subjecto apto, seu capaci formæ.

VI. Prima ergo pars facilioris est probationis. Nam in actu peccati deest rectitudo, quidquid illud sit quod nomine rectitudinis appellamus, sive sit intrinsecus ordo, et tendentia ad objectum, sive extrinseca denominatio, sive aliquid reale sive rationis; ergo habet carentiam illius. Consequentia est certa, quia idem est carere aliquo, et deesse illi. Antecedens vero constat, quia si in actu peccati adesset rectitudo, non esset peccatum, sed actus bonus utpote rectus, et plenitudinem essendi habens; ergo si est peccatum, illi non adest, nec convenit rectitudo; ergo deest, et sic caret illa.

VII. Nec dici potest, quod illa carentia non est intrinseca actui, sed extrinseca proveniens a carentia regulæ extrinsecæ, unde sumitur denominatio carendi regulatione, seu rectitudine. Contra enim est, quia talis erit carentia in ipso actu, qualis in eo daretur rectitudo, si peccatum non esset. Rectitudo autem in actu bono est aliquid intrinsecum, scilicet per tendentiam, et respectum ad objectum, a quo sumitur in actu rectitudo, et bonitas, si quidem actus bonus est, quia versatur circa tale objectum, quod est bonum, et regulatum per rationem (ut supra disputatione præcedenti late probavimus) ergo talis rectitudinis privatio, erit privatio alicujus intrinseci,

quod in actu reperitur, quando est bonus. Et præterea modo non agimus de qualitate illius privationis, an sit privatio formæ intrinsecæ, vel extrinsecæ; sed quidquid illud sit quod rectitudinem nominamus, illius carentiam dicimus esse in actu, et debere privationem dici, si quidem actus capax est illius formæ, sive intrinseca sit, sive extrinseca, et in hoc est punctus difficultatis.

VIII. Secunda ergo pars, difficultioris probationis est. Nam si actus semel a potentia egressus posset transire de bono in malum, vel e contra, sicut sentiunt, qui ponunt bonitatem, vel malitiam in aliqua denominatione extrinseca, facile intelligeretur quomodo idemmet actus est capax utriusque, scilicet rectitudinis, et privationis, et sic quando est carentia rectitudinis illa est privatio, quia in subjecto capaci est, utrumque enim accidentaliter advenit actui. Sed tamen hæc doctrina non admittitur a nobis pro actu interiori voluntatis quando redditur malus ex objecto, et specie sua, quia malitia, quæ hauritur ab objecto, mediante respectu, et tendentia ad ipsum desumitur; et hæc tendentia intrinseca est actui, et cum ipso innascitur, quia est ipsamet entitas actus, ut a tali objecto dependens, et ab ipsa specificatus, quia ad ipsum ex se ordinatur. Unde talis respectus, et tendentia mutari non potest, quin mutetur actus ipse in se, eo quod intrinseca est entitati actus. Constat autem omnem malitiam moralem actus tandem ex objecto sumi, quia si antecederet ad circumstantias est malus, ex objecto id habet; si autem objectum de se est bonum, vel indifferens, ex circumstantia autem malus est actus, tunc circumstantia transit in conditionem objecti (ut infra dicemus.) Et sic semper ex objecto malitia desumitur. Quare non possumus in

actu malo morali procedere, sicut in artefacto externo, quod etiam fit si distortum, et malum, potest ratione materiæ esse capax rectitudinis, quia illa materia naturalis capax est reformationis, aut de se primo capax fuit. At vero actus semel egressus a potentia non est capax ut reformetur, quia si de novo illi advenit tendentia ad objectum, erit novus actus. Unde nunquam est capax reformationis, etiam ratione suæ naturalis entitatis, sicut odium Dei non est capax rectitudinis in Deum, ratione suæ entitatis.

IX. Nihilominus potest hæc pars probari, tum a posteriori, tum a priori. A posteriori quidem, quia illa carentia rectitudinis resultans in actu, ex tendentia in objectum pravum non est pura negatio; ergo est privati. Consequentia est certa, quia omnis carentia formæ, vel est negatio pura, si sit in subjecto incapaci formæ; vel privatio, si sit in subjecto capaci. Antecedens probatur primo, quia unum peccatum potest esse majus altero non solum ratione subjecti operantis, sed etiam ratione ipsius operis in se, sicut infidelitas, et desperatio in se sunt graviora peccata furto, et homicidio; ergo illa privatio, seu carentia in actibus non est pura negatio rectitudinis, sed privatio, quia pura negatio non suscipit magis et minus, ut in homine negatio lapidis non est major in uno individuo, quam in alio. Secundo, quia si actus caret rectitudine solum negative, et non privative; ergo in se non est malus moraliter, sicut etiam lapis, vel brutum quia solum negative carent rectitudine, non habent malitiam moralem. Si autem ille actus non est malus moraliter, neque est dignus pœna, nec voluntatem potest reddere malam moraliter, si quidem voluntas non redditur mala, nisi per actum a se procedentem, et se

informantem. Ergo si ipse actus non haberet in se privationem, sed solum negationem rectitudinis, tota ratio peccati destrueretur, et pœna non deberetur, quia non debet puniri aliquis propter actum, qui non est peccatum, sed solum negationem habet rectitudinis. Imo hanc eandem negationem habet actus indifferens, quia in se bonus non est, alioquin indifferens non esset; cur ergo ex tali negatione non dicitur malus, nisi quia illa negatio non est privatio, nec illi actui est debita ex specificatione sua? Et tamen quia est debita ex suo exercitio, et ex fine propter quem operatur, ideo in exercitio non potest dari actus indifferens, qui non sit bonus, vel malus. Ex specificatione autem non debetur sibi, quia est de objecto, de quo lex non agit, neque prohibendo, neque præcipiendo, sicut agit de objectis eorum actuum, qui sunt ex sua specie mali, et sic ex sua specie privationem inducunt in actu.

X. Denique actus bonus in se habet bonitatem per quam potentia denominatur bona, et bene operans: ergo etiam actus malus debet habere in se privationem talis boni intrinsece. Patet consequentia, quia actus bonus ideo in se intrinsece bonitatem habet, quia mensurabilis est talis actus mensuratione rationis prout attingit objectum debitum humanæ rationi, et regulatum ab illa, et hoc quod est actum sic esse mensuratum, et regulatum, tam intrinsecum illi est, sicut tendentia ipsa ad objectum regulatum ratione. Ergo e contra carentia, quæ resultat in actu contrario ex eo quod tendit in objectum dissonum, et non regulatum, intrinseca privatio est, et in ipso actu reperitur, quia indebito modo regulatur, et mensuratur talis actus prout libero, et humano modo fit, sic enim regulatus esse debebat. Si autem actus habet in se intrin-

sece carentiam bonitatis, seu regulationis, et tendentiæ rectæ prout humano modo procedit, et elicitur: ergo sequitur, quod sub eadem ratione consideratus, scilicet prout humano modo fit illa regulatio, et illud bonum est debitum ipsi actui carenti illo, alias si actui sic egredienti libere, et humano modo non esset debita illa bonitas, qua caret, talis actus non esset capax bonitatis moralis; ergo neque regulationis, et sic non esset regulæ illi subjicibilis, et dirigibilis ab ea, sed se haberet sicut actus bruti, qui non est capax regulationis legis, atque adeo neque punitionis. Non solum autem in ipso operante, sed etiam in ipso actu carentia illa moralis est, quia in linea morali irregularis, et obliquus actus est, non in genere naturæ.

XI. A priori vero ratio est, quia actus ille prout voluntarius, et liber, seu prout egreditur a voluntate humana, egreditur ut indigens regula, et mensura, quia sicut actui voluntatis est debitum, et necessarium ferri in objectum ut cognitum; et media apprehensione formatum, ita est eidem actui debitum mensurari, et regulari per rectam apprehensionem, et dictamen, et hoc ipso quod egreditur a voluntate humana, et libera, egreditur ut indigens tali regulatione, et mensura; ergo ex se et ex suis propriis principiis a quibus procedit, est capax rectitudinis, et illam exigit, eique debetur, licet prout tangit objectum dissonum, et disconveniens rationi, non sit ei debitum, sed sit contrarium ejus quod debetur, sicut artefactum erratum habet materiam capacem recti artificii quantum est de se, et ut est materia subjicibilis arti, licet prout jam erratum, et subjectum ideæ erranti, capax non sit; imo si id quod habet actus malus contrarium est ei quod debetur, signum est quod

oppositum ejus debebatur illi quantum est ex ipsa ratione, et conditione actus liberi voluntarii. Consequentia patet, quia si ille actus ex suis principiis quatenus humanus est, non esset capax in se illius bonitatis, seu regulationis, non esset indigens regulari, et mensurari a ratione, neque hoc esset ei debitum, neque esset materia regulationis capax, sed esset sicut actus partis vegetativæ, aut bruti, qui non est materia capax regulæ. Unde sequeretur, quod nec etiam posset dici peccatum, neque deficiens a recta regulatione, seu irregularis, quia si ex suis principiis capax non est, nec exigens rectam mensurationem; ergo per hoc quod ei denegatur, non denegatur aliquid indebitum; ergo non est deficiens a regulatione, nec regula carens, quia carere regula, quæ sibi non debetur, non est esse deficiens, neque irregulatum manere, sicut si ea quæ artificialia sunt non mensurentur mensura morali, aut quæ sunt moralia non mensurentur mensura artificialium non ex hoc dicitur aliquid eis deficere. Ergo ut actus dicatur peccatum, et deficiens a regula, debet esse capax, et ei debitum tali regula mensurari.

XII. Dices contra primam rationem a posteriori, illam non tenere, quia ut actus sit malus non requiritur, quod in se habeat privationem, neque capacitatem ad bonum, sed sufficit quod talem privationem causet in subjecto, licet in se illam non habeat, et sic solum in subjecto supponetur ista capacitas, et debitum, non in ipso actu, sicut patet in duobus contrariis frigore, et calore, quæ vere, et proprie sunt contraria, et potest unum esse magis contrarium; si sit intensius, aliud minus, si sit remissus; et tamen calor non habet in se privationem frigoris, nec habet capacitatem, et exigentiam ut